

**Dissertatio inauguralis de tartratis antimonii usu externo ... / eruditorum
exami subjicit Alexander Joannes Hannay.**

Contributors

Hannay, Alexander John, -1846.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sdsrgbef>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATION
INAUGURALE

TARTRATIS
USU ET

ASSUENTE

ET ACIDITATE ET

D. GEORGI

ACADEMIAE EDINBURGHENSIS

ANNO DOMINI MDCCCXXXIII

IN AUSTRIACA FACULTATE

Pro Gratia

RECTORIUS IN MEDICINA

RITE ET LEGITIME

RECTORIUS

ALEXANDER J. SMITH

SECRETARIUS

SECRETARIUS

Consilii et experientia doctissimi

Kalendis Augusti,

EDINBURGH

EXCUBIT

MDCCCXXXIII

(15.)

DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE
TARTRATIS ANTIMONII
USU EXTERNO;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
ALEXANDER JOANNES HANNAY,
Anglus,

SOCIETAT. REG. MED. EDIN. SOC.

Usus et experientia dominantur in artibus. CICERO.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL:

MDCCCXXIII.

TARTARUS ANTIMONII
USU EXTERNO

D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

ALEXANDER JOHANNES HANNAY

To — Woodford Esq
with the good wishes
and best compliments
of A. Hannay

ROBERTO HANNAY, ARMIGERO,

OLIM EQUITUM COHORTI CHIRURGO,

NUNC AUTEM PORTORII REGIS QUÆSTORI

APUD VICUM PORTPATRICK,

HOC OPUSCULUM,

AMORIS ET OBSERVANTIÆ CAUSA,

ATQUE IN TESTIMONIUM

ANIMI PATERNÆ CURÆ NON IMMEMORIS,

SACRAT

FILIUS:

NECNON,

ROBERTO HANNAY,

DE BLAIRINNIE,

ARMIGERO,

ATQUE JURISCONSULTO,

PROPTER PLURIMA BENEFICIA IN SE CUMULATA,

HOC TENTAMEN,

IN PIGNUS EXIGUUM GRATI ANIMI AFFECTIONIS,

OFFERT ET DICAT

ILLIUS VIRTUTUM ET INGENII DOTIUM ÆMULUS,

AUCTOR.

ROBERTO HANNA, ARMIGERO,

ALM. REGIUM CONSILII CHIRURGO,

REGIS AVSTRIACAE MORTUARIUM DIRECTORI

DISSERTATIO

HOC OPUSCULUM,

INAUGURALIS

AMORIS ET OBSERVANTIAE CAUSA,

ATQUE IN TESTIMONIUM

DE

ALMI PATRIAE CURAE NON IMMÉMORIS,

TARTARATI ANTIMONII

FILII

USU EXTERNO

AVCTORE

ROBERTO HANNA

DE ALIBIRIBUS

ARMIGERO,

MERITA quae sine terminis aliquid vel methodi
notas tradendi ex sui soluta copiosa possunt
Pater hinc in dicitur ante peritissimas, quam
primam Molem in dicitur in dicitur esse aggre-
gatam, quibus hinc et hinc hinc hinc hinc hinc
hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc

[Faint handwritten text, likely a library stamp or signature]

DISSERTATIO

INAUGURALIS

DE

TARTRATIS ANTIMONII

USU EXTERNO.

MERITA quæ sint remedii alicujus vel methodi morbos medendi ex usu solùm cogosci possunt. Pater meus in nostra arte peritissimus, quum primum Medicinæ studium in tutela ejus aggrederer, animum meum ad remediorum ex Antimonio confectorum, in corpore humano effectus direxit; et multæ mihi videndi occasiones Tartratis Antimonii actionem in morbis curandis extrinsecus admoti oblatae fuerunt; quamobrem huic argumento dum studia peragerem nunquam

animum appellere neglexi, sed scripta omnium auctorum qui de hac re tractaverunt quantum potui consului, et omnes occasiones facultates ejus extrinsecus admoti in morbis curandis experiendi amplexus sum. Quæ igitur inter indagaciones meas et experimenta, quoad potui collegi, ea pro argumentis dissertationis, quam ab illis Medicinæ honores ambientibus, leges præclaræ nostræ Aca-
demiaë postulant, selegi.

Quæ de viribus et facultatibus Antimonii extrinsecus admoti, in morbis curandis, dicere habeo, ordine sequente exponam.

I. De historia hujus remedii, ad morbos sanandos, extrinsecus illati.

II. De ejus in locum cui adhibetur effectibus, necnon de iis quos in universum corpus producit.

III. De modo quo agit Tartarus Emeticus in morborum curatione, necnon de formulis in quibus corporis superficiiei admotus est.

IV. De morbis nonnullis in quibus vires et utilitates Tartratis Antimonii extrinsecus admoti, mihi usu compertæ sunt.

DE HISTORIA, &c.

REMEDIIUM de quo mihi propositum est in hac dissertatione tractare, primùm ab ADRIANO Mynsichtiense inventum fuit, et in illius Thesau- ro et Armamentario Medico-Chemico * patefac- tum est; sed quanquam ab eo tempore stibium crudum a nonnullis admotum fuerit externo cor- pori, tamen neque ADRIANUS ipse, neque alius ullus, quantum comperire potui, aliquid de usu Tartratis Antimonii externo protulit. Quantum post multos libros scrutatos intelligere potui, BLIZZARD † Tartratis Antimonii ad morbos sa- nandos extrinsecus admoti effectus primus narra- vit. Solutione usus est, quam fungosis tantum- modo ulceribus admovit, ut eorum carnes nimis crescentes reprimeret. Narrat, etiam pulverem partes quibus admotus est exedisse, et suggerit, præterea hujus remedii usum externum, eosdem

* Vulgatus A. D. 1631.

† SIMMONS, London Med. Journal, vol. viii.

effectus producere posse, quos in ventriculo assumptum ostendit. Quidam ex Societatis Medicinæ Londinensis sociis, annum circiter millesimum septingentesimum octagesimum quintum, animos appulerunt ad effectus Antimonii Tartarizati in corpore investigandos, et ad utilitates ejus extrinsecus adhibiti in morbis tollendis experiendas. In secundo tomo hujus Societatis Commentariorum, SHERWIN*, experimenta impertivit, eo consilio ut Antimonium Tartarizatum in corpus absorberi, et ita viam invenire qua in sanguinem inferri posset, demonstraret; nihil tamen dixit, de eruptione pustulosa quam efficit in cute cui satis magna quantitate admovetur, nec a minimis Tartratis Antimonii portionibus quas adhibuit, eruptionem productam fuisse existimandum est. Effectus similes iis quos in ventriculum receptus producit, se observavisse narrat; sed de hac re postea, in divisione secunda hujus tentaminis, disserendum est. Hisce observationibus, parvo tempore narrationes, experimentaque ab aliis sociis Societatis Medicinæ Londinensis instituta successerunt; et in tomo quarto ejus-

* P. 386.

dem Societatis Commentariorum, duas dissertationes habemus, de effectibus quos usus Tartratis extrinsecus admoti producit, ac in appendice tomi ejusdem usus externus in Rheumatismi curatione multum laudatur. In prima harum dissertationum, GAITSKELL* effectus quos SHERWIN narrat, sibi ipsi et aliis quoque ab usu externo Tartratis Antimonii accidisse, (nimirum eos quos in ventriculum receptus excitat), se unquam vidisse negat, quanquam etiam portionibus multo majoribus eum admovit; sed eruptionem huic sali propriam, et ab eo, ut mihi videtur primum observatam in seipso et in amicis quibus eum admovit, productam fuisse dicit, et pustulas in duobus exemplis, dolentes et molestas fuisse memorat. In eodem tomo, observationes de usu Tartari Emetici Doctoris BRADLEY habemus, qui vires ejus in Rheumatismo, Sciatica, Torpore, et Paralyti partiali levandis laudat; sed affectionem ab hoc remedio extrinsecus admoto, ventriculo, intestinis vel renibus illatam fuisse, se nunquam vidisse dicit; tamen pustulas multum doloris et incommodi agris, intulisse reperit; hinc modos

* Vol. iv. Art. vi.

† Idem. Art. xviii.

quibus eruptionem vel reprimere vel lenire posset exquirere inductus est, sed tentamina parum feliciter evenerunt. In quinto tomo Commentariorum supradictæ Societatis, HUTCHISON * sua experimenta de usu externo Tartratis Antimonii edidit; eos effectus ab usu ejus externo, quos SHERWIN invenit, ut ante memorati fuerunt, se observasse dicit, et eum producere effectum somniferum credit, quem nemo ante eum observavit.

In numero sexto libri qui "London Medical and Physical Journal" appellatur, in pagina septuagesima quarta, Editor dicit, experimenta ab HUTCHISON de Tartaro Emetico instituta, confirmata fuisse, a multis medicis qui solutione in quantitate ab eo præcepta usi erant, et absorptionem ejus producere soporem profundum invenerant. In Britannia, post hoc tempus, quam medicorum scripta quantum potui scrutavi, tentamina perpauca instituta fuisse inveni; tamen a quibusdam medicis, quibus utilitas ejus in hoc modo adhibiti usu cognita fuit, multum commodum in morborum curatione obtentum est,

* Vol. v. Art. xviii.

et nonnulli experientiam suam vulgaverunt; sic GOODWIN*, se duos casus Pectoris Anginæ, usu ejus externo levâsse narrat; et in tentamine de Pertusse, ROBERTSON † ad hunc morbum leniendum, hoc remedium multum commendat; etiam a BRODIE ‡ et KINGLAKE §, usurpatum fuisse ex scriptis eorum constat. Inter Tartratis Antimonii proprietates, TODD THOMSON, in libro inscripto "The London Dispensatory," effectum ejus epispasticum enumerat, quem effectum nemo ante, dignum habuisse videtur, qui in tali opere notaretur; sed observationes eximiæ et numerosæ, de usu externo Tartratis Antimonii, ab insigni JENNER nuper vulgatæ in epistola ad clarum Doctorem CAROLUM PARRY, Bathoniensem, scripta, præ omnibus dignæ sunt commemoratione; narrat enim in hac epistola plurima exempla, Insania triste, Affectu Hypochondriaco, et morbis quibusdam Pectoris, laborantium, quibus hoc remedio solatium tulerat; etiam in hac

* London Med. and Phys. Journal, vol. vi. p. 320.

† London Med. Repository, Jan. 1821.

‡ On Diseases of Joints.

§ London Med. and Phys. Journal, 1819.

epistola continentur de hac re communicationes quas ab aliis acciperat. In eâ quoque reperiuntur opiniones ingeniosissimæ, Doctoris, de modo quo Tartras Antimonii ad morbos levandos agit; has autem conjecturas postea exponemus, et perpendere conabimur. Pater meus, quippe quia olim equitum legioni chirurgus fuit, multis occasionibus bonos effectus Tartratis Antimonii extrinsecus admoti, in quibusdam morbis equinis observandi fructus est, sed præsertim in affectionibus juncturarum. Itaque hoc remedium in curatione affectionum similium quibus homo obnoxius est experiri inductus fuit, priusquam illud ab aliis usurpatum fuisse, audierat. Successus qui primis ejus tentaminibus secuti sunt, eum ut perseveraret induxerunt, et ex fonte quam præbet ejus experientia, in hac dissertatione componenda largiter hausit.

In Germania multùm usurpatur, et a Gallis adeo laudatur, ut Unguentum ex eo confectum in Medicamentario Codice Galliæ, locum obtinuit; sed quo tempore Tartratem Antimonii cuti admove in Gallia inceptum est, invenire non possum; tamen ex libris de Materia Medica in ea regione vulgatis, priusquam Medicis Anglicis

notus est, non usum fuisse apparet. NYSTEN hunc usum non remotius arcessit, quam ab eo tempore, quo in pertussis curatione a Doctore AUTENREITH introductus est, et illi, honorem hoc remedium extrinsecus primum admovendi, attribuere vult* ; verum Doctoris AUTENREITH de hoc remedio experimenta, multo recentiora sunt quam ea a SHERWIN et BLIZZARD facta, quæ supra memoravi, et quæ GMELIN, medicus Germanus, citat tanquam prima de hac re instituta. NIEMAN † in multis morbis admovit hoc remedium, quod vesicatoriis ex cantharidibus confectis, anteponeit.

II. DE EFFECTIBUS, &c.

IN secunda parte hujus tentaminis, de Effectibus quos Tartras Antimonii in locum cui adhibetur, et in corpus universum producit, quædam proferre proposui. Primum, igitur, de effectibus quos in parte cui admotum est præbet, ad hos enim tentamen meum præcipue spectat. Quan-

* Dict. des Sciences Med. vol. xi. p. 535.

† Lond. Med. Repository, vol. x. p. 74.

quam primi auctores inter se de Tartari Emetici extrinsecus admoti, in organa interna effectibus, ita discrepant, ut lites componere non possimus; omnes nihilominus consentiunt hoc remedium in quacunque forma cuti admoveatur, sive solutione sive cum unguento commistum, eruptionem producere pustularum, quarum characteres plerumque constantes sunt; tempus autem quo pustulæ emittuntur multum variat, pro quantitate Tartratis Antimonii in solutione, vel in unguento, pro ratione admotûs ac pro parte corporis cui remedium admovetur. Mihi quoque videtur quendam statum, non facile explicandum, efficere ut corpus Tartratis Antimonii viribus resistat; nam in nonnullis ægris, quibus eum admovi, licet solutio vel unguentum, majorem quam solitam vim haberet, pustulæ non eruperunt. Solutio Tartari Emetici, confecta secundum formulam postea memorandam, quam Pater meus optimam reperit, madefactis digitis, cuti per spatium horæ quadrantis, vel paulo diutius, valida frictione admota, efficit ut partes leniter tumeant, rubescant, et cum sensu urente doleant. Frictione continuata, brevi, exiguæ elevationes sub digito sentiuntur, semina parva magnitudine referentes, et

quæ si caute inspexeris, papulæ exiguæ subalbidæ in base subrubro sitæ, sæpe confusæ et confluentes, videbuntur. Æger nunc dolorem, non gravem, in parte qua emittitur eruptio, conqueritur. In spatio circiter sex vel octo horas, dolor, tumor levis, et rubor partium minuentur. Papulæ tandem humorem, modo limpidum, modo subflavum, in se habere incipiunt. Hæ pustulæ rapide inrescunt, magis confluunt, et fiunt depressæ. In singulis depressis pustulis, surgit in medio, altera parvula pustula, albidi coloris, et annulo fusco circumdata. Cutis inter pustulas non confluentes, jam ad colorem pene naturalem redit; pustulæ nunc etiam per horas viginti quatuor magnitudinem augere pergunt, et tertio die ab admoto medicamine, perfectæ sunt; deinde rumpuntur, et humor ex illis effluens, in crustas subflavas siccat. Aliquæ tamen pustulæ distinctæ, ad maturationem non perveniunt, donec reliquæ in crustas abierunt. Exigua pars cuticulæ circum pustulas albescit, et una cum crustis vel scabiibus, in paucis diebus, aliquando in tribus vel quatuor cadit, et plerumque nulla molestia, præter partium prurimum, ab ægro sentitur.

Quaquam hic sit plerumque cursus eruptionis, res tamen non semper sese ita habet; variæ enim corporis partes non eadem ratione Tartratis Antimonii viribus resistunt; sic eodem tempore, cubitui et thoraci eum admovi, sed eruptio in thorace multo citius apparuit. Interdum perpaucae tantum papulae emittuntur, quamvis per solitum tempus, et solito modo, Tartras admotus sit. JENNER exemplum narrat, in quo eruptionem in cubitu ante diem decimum quartum, efficere non potuit. Actio hæc imperfecta et tarda, non ex cuticulæ crassitudine pendere apparet; JENNER eam torpori cutis attribuit, ita vero nil nisi factum enarrat. Aliquando, ut quidam auctores memorant, exulcerationes sordidæ, dolentes, et curatu difficillimæ, antimonii extrinsecus admoti, effectus fuerunt; ex quo, usum ejus externum omnino prohibent. At hæc mala nunquam ipse vidi, quaquam Tartratem Antimonii cuti sæpe numero admovi. Verum enimvero notandum est, illos omnes Tartaro Emetico, cum axungia porcina commisto, usos fuisse. Ego autem unguenti forma rarissime usus sum; licebit igitur mala ab aliis observata, magna ex parte compositioni tribuere; nam hæc forma, ut postea vide-

bimus, majorem producit exasperationem; et si post eruptionis emissionem admovetur, mala supradicta efficere valet, rodenti facultate, quam exempla a BLIZZARD tradita Tartratem habere docent. Eruptio quam educit unguentum, ex Tartratis Antimonii drachma, et axungiae porcinae uncia confectum, differt ab illa solutione excitata. Si unguento utimur, eruptio perraro ante diem secundum se ostendit; sensus deinde dolorem inter et pruritem in parte sentitur, et inde manus vix retineri potest; papulae unguento excitatae, quam ex solutione eductae, rubriores sunt et majores; exasperatio longe diuturnior est et dolentior, et eruptio cursum longiorem habet; nunquam tamen, aut rarissime, confluens fit. Unguentum, eruptionem in breviori tempore, quam supra dictum est, aliquando producit, ut narrat JENNER, et ut egomet quoque vidi; solutio tamen eam plerumque citius educit. Nonnunquam si vel solutio vel unguentum semel tantum admotum fuerit, pustulae non formantur, sed papulae in squamis abeunt, ut docent experimenta in meipso instituta.

In duabus foeminis, solutio ex Tartratis Antimonii drachmis duabus, et aquae uncia, confecta,

cutem vesicavit: vesiculæ iis subsimiles fuerunt, quas excitat cantharis vesicatoria. Una ex eis cynanche tonsillare, exulceratione gingivarum molestissima, et multa perturbatione organorum concoctioni inservientium, laboravit. Solutioni quam huic fœminæ admovi, muriatis hydrargyri pauca grana addita fuerunt. Hora decima pomeridiana, compositio, digitis ex ea madefactis, pene totæ colli superficiei per horæ sextam partem fricando, admota est. Brevi tempore partes magno dolore afficiebantur, ustionem maxime referente, ex quo, licet ad eam leniendam lavigationes aqua tepida, fomenta, et alia usurpata sint, noctem infaustam peregit. Summo mane arcessitus, cuticulam multo interposito pure, a subjecta cute separatam, et in vesiculas elevatam inveni. Cataplasmate admoto dolor decessit, et paucis diebus redintegrata est cuticula. Ad hanc sanationem unguentum ex cerato simplice et floribus zinci confectum, haud parum contulit. Dolor faucium statim lenitus est, et exulceratio gingivarum, quam fere per tres menses, variis remediis frustra curaveram, decessit. Nonnulli medici tartarum emeticum cuti admoverunt, ut effectus obtinerent, quos in universum corpus producit.

Eum enim in sanguinem per cutem assumptum non aliter in ventriculum receptum corpus afficere existimabant; at quam incerti sunt ejus in corpus effectus, cum extrinsecus admovetur, exempla multa in quibus eum admovi, luculenter docent; nam licet corporis superficiei tam variis modis et tanta copia quanta medicus ullus extrinsecus adhibuerim, vidi perraro eum cuti admotum, nauseam et vomitum excitare, vel urinam vel alvi fluxum promovere. Credo revera me nonnunquam observavisse nauseam, vomitum, sudorem et alvi fluxum, usum ejus externum secuta fuisse; dubitari tamen potest, num in istis exemplis ea signa, a morbo, an a remedio orta sint. Veruntamen haud dubitandum est, quin tartarus emeticus in sanguinem per cutem assumi possit. Ad hanc opinionem suadent, ut mihi videtur, et secretio aucta salivæ, quam plerumque promovet, præcipue si gutturi externo admovetur, et sudor lenis, quæ ex usu externo, credo me nonnunquam vidisse, et denique egregium testimonium, quam præbet eruptio, erumpens in variis corporis partibus remotis, a loco cui admotum est medicamentum; sic declarant AUTENREITH et ROBERTSON, se eruptionem prope pubem excitatam

vidisse quanquam tartarus emeticus pectori admotus fuisset. SHERWIN quoque in fœmina, cui Tartratem Antimonii admoverat, eruptionem procul a loco perfricto, erumpentem observavit. In me ipso, cum pulverem extrinsecus admovissem, ut effectum ejus experirer, sæpe pustulæ prurientes emissæ sunt, persimillimæ illis quæ raro sparsæ sunt, in loco cui pulvis admotus fuerat. Tartras Antimonii non modo eruptionem sibi propriam excitat, cum cuti directe admovetur, sed etiam ubi in ventriculum recipitur, plurimas pustulas erumpere vidi, quas aliis causis attribuere non potui, nam in nonnullis febricitantibus, quibus remedia ex stibio præparata, ut tartras, vinum, et oxidum antimonii cum phosphate calcis, in magnis portionibus data fuerunt, eruptionem pustularum, illis persimilium ex usu externo Tartratis Antimonii provenientius, observavi.

III.—DE MODO, QUO TARTARUS EMETICUS IN MORBORUM
CURATIONE AGIT, NECNON DE FORMIS IN QUIBUS
CUTI ADMOVETUR.

CUTIS humana, ob acutissimam sentiendi facultatem quam a nervis numerosis accepit, necnon, ob consensum quem cum multis internis organis habet, viam præbet, qua in his, mutationes varias, et magni momenti, efficere, et ita diversis morbis opem ferre, possimus. Agendi ratio epispasticorum in morborum curatione, adhuc obscura est, et difficilis explicatu. Hanc autem explicationem in hoc tentamine, suscipere in animo non habeo; sed cum remedium quod pro argumento hujus dissertationis selegi, inter hujus classis potentissimum habendum sit, ut ea commoda, quibus aliis præstat, rectius perpendamus, quædam generalia et conspicua de epispasticorum agendi ratione nos præponere oportet. Remedia quæ in morborum curatione valent, cutem vesicando, per effectus quos in genere nervoso concitant mihi videntur agere, et plerumque, quo major gradus sit doloris et exasperationis quem ex-

citant, eo magis opem ferunt. Quanquam hic remediorum ordo actionem in genus nervosum habet, tamen effectus eorum hoc genere non terminantur, nam pergenus nervosum sanguifera, lymphiferaque vasa efficiunt et eorum actiones ita mutat ut tum morbos leniendos haud parum concurrant. Ad omnes morbos, quibus multum excitationis adest, et concitandos, et continuandos, opus est, ut mihi videtur, incremento vel saltem modificatione, vis vel impulsus illius, quem genus nervosum per totum corpus dispertit. Hæc opinio, cum facultate sentiendi in partibus affectis aucta, tum, natura et agendi rationibus remediorum, quæ hujusmodi morbis plerumque prosunt, demonstrari videtur. Quum, ut experientia compertum est, genus nervosum duabus actionibus morbidis, vis suæ incrementum, uno tempore suppeditare non possit; itaque cum vitalia morbo laborant, epispasticis admotis, morbum excitamus in cute, cujus functiones perturbatas longe impunius quam vitia organorum internorum patimur, quippe cum hæc organa majoris momenti muneribus fungantur. Mutationes etiam, quas per nervosum genus remedia epispastica in vasis sanguiferis efficiunt, ad morbos tollendos non-

nihil valent, et vi qua in vasa lymphifera agunt, auxilium non parvum in nonnullorum morborum curatione præbent. Auxilium quod fert remedium vesicans, brachio admotum, in inflammatione thoracis, vi solummodo qua genus nervosum afficit, attribui potest; certe non pendet ex potestate recursum faciendi, ut olim existimabatur. Mutationibus quas per nervosum genus in vasis sanguiferis vesicantia efficiunt, tribuemus singularem istam potestatem, quam ad morbos leniendos habent, ubi partibus affectis quam proxime admoveantur. Pari ratione causam explicare possumus, auxilii, quod fert emissio eruptionis spontanea, in morbis organorum internorum leniendis, vel etiam, ut nonnunquam accidit, iis omnino tollendis.

His paucis præfatis de epispasticorum actione, nunc vires Tartratis Antimonii et Cantharidum inter se comparabo. Epispasticum quo medici frequentissime utuntur ex cantharidibus confectum est; hoc itaque selegi, quod cum tartaro emetico extrinsecus admoto, quoad effectus et agendi rationem compararem. Cantharides vel Meloës Vesicatorii cuti impositi inflammationem excitant,

et cuticulam multo tenui interposito humore, a subjecta cute separant, et in vesiculas elevant.

Tartarus emeticus cuti admotus præter exasperationem, quam in superficie excitat, semper eam vasorum actionem ad pus eliciendum necessariam, inducit; sed, ut mihi videtur, ad pus formandum, quam ad serum effundendum, major vasorum actio, gravioresque mutationes in vi generis nervosi necessariae sunt. Cantharides in loco cui admoventur exasperationem inducunt, quæ plerumque paucis horis decedit; Tartras Antimonii contra, exasperationem excitat, quæ non solum per longius tempus durat, sed etiam per dies aliquot, gravior evadit. Cantharides cuticulam a cute vera sejungunt, sed plerumque profundas cutis laminas non afficiunt; verum Tartras Antimonii in ductus in cutis superficie se aperientes frictione (frictio enim multum adjuvat) impulsus, irritat, et eruptionem, cutem veram et subjacentem membranam cellulosa afficientem, educit, cujus pustulæ totidem phlegmonas parvas maxime referunt. Cantharides modo solito admoto, non ante plures horas elapsas suos effectus ostendunt; sed Tartarus emeticus solutus, et frictione admotus, spatio tertiae

partis horæ erythimum vel exasperationem excitat, eruptionem educit papularum, quæ ea actione, qua pus educitur, instituta, pustulæ paucis horis evadunt. Tartarum emeticum multo magis quam cantharides vasa absorbentia afficere, non solum probabile videtur, ob majorem irritationem vel exasperationem quam in loco cui adhibitus est producit, sed etiam experientia res ita sese habere demonstrat; nam Pater meus, cui hoc remedium multo usu bene cognitum est, in epistola quam ex eo nuper accepi, et in qua suam experientiam narrat, inter commoda quapropter Tartras Antimonii, epispasticis ex cantharidibus confectis præponendus est, hoc enumerat, illum scilicet majorem quam hoc absorbentium vasorum actionem, excitare, “ I consider it,” inquit ille, “ to act as a strong stimulant, which excites the absorbents to vigorous action, in a manner quite different from a common blister.” JENNER, in literis, quas supra memoravi, nobis protulit quasdam contemplationes et quædam argumenta, a comparatione deducta, ad modum spectantia, quo eruptiones, medicamentis cuti admotis excitatæ, in morborum curatione valent; et quippe cum tanti viri opiniones, maxima observantia dignæ

sint, quam breviter et summatim, sententiam ejus de modo in quo, in morbis leniendis tartarus emeticus extrinsecus adhibitus, agit, proferam. Illi quidem videbatur, eruptiones, quosdam morbos comitantes, ex naturæ nisu, quo noxa a vitalibus, ad cutem depellatur; cutis enim, multo minore incommodo perturbari potest quam functiones organorum ad vitam necessariorum, Eruptiones etiam ab arte excitatas, simile ratione morbos levare, et vim morbidam ab organis internis laborantibus ad corporis superficiem transferre credebat. Ad suam opinionem confirmandam, morbos citat eruptionibus apparentibus levatos, retropulsis exasperatos, et redeuntibus decedentes.

Febres, quas eruptiones comitantur, illam illustrare dicit. Ut convenientiam, inter eruptiones arte excitatas et eas sponte orientes, ostendat, variolæ initium, cursum et finem describit. Dicit eruptionem a natura factam esse, ut eas actiones quas contagium in corpore concitat, et quæ ingruente morbo febrem constituunt, ad cutem divertat, febremque tollat. Quod si eruptione facta, febris etiamnum adsit, talem febrem non specificam et a primis contagii effectibus continuatam,

sed potius cutis irritatione inductam esse, existimat. Quanquam proclivis sim cum JENNER consentire in hoc, quod febris post factam eruptionem permanens, vel ex eruptione originem habet, vel saltem quo frequentior, profundior et magis exasperata cutis eruptio sit, eo gravior febris evadit; non tamen similitudinem, quam JENNER eruptiones spontaneas inter, et arte productas, imaginatus est, probatam habere possum. Eruptionem a naturæ conatu provenire, quo actio morbida contagio speciali excitata tollatur, nequaquam possum componere, cum hoc quod multa experientia demonstravit, scilicet, omnia variolæ signa, multo leviora reddi, iis remediis quæ incipiente morbo, ad eruptionem minuendam præcipue valent; sic lavationibus, et etiam aspersionibus, cum aqua frigida, multo commodo usus sum, eruptio moderata et febris lenita est. In ambustionibus, observavi quo profundius cutis affecta est, eo majus incommodum fuisse; non igitur, tantum ex amplitudine mali, quantum ex illius profunditate, hujusmodi injuriarum severitas pendere videtur; sic tartarum emeticum pariratione in morborum curatione mihi cantharidi-

bus præesse videtur, nimirum quia profundas cutis laminas afficit; nequaquam existimo tartarum emeticum, facultate peculiari pollere, sed multum tribuo celeri ejus et perstanti actioni, itemque vi qua in genere nervoso, in parte cui admotus est agit.

Nunc pauca proferam de formis in quibus admotus est Tartarus Emeticus, corporis superficiei. In pulveris, magmatis, solutionis et unguente forma, ipse Tartratem Antimonii admovi; et breviter cujusque commoda, et proprietates exponam. Pulvis fere nullam exasperationem excitat, et perpaucae pustulae, in parte cui admotus est, erumpunt; sed hac majus quam aliis formis eruptionem in caeteris corporis partibus excitatam, me vidisse credi. In his exemplis, eas tantummodo salis portiones quae in cutis humoribus solutae fuissent, eruptionem effecisse arbitror, nam nisi solutus sal in ductus cutis transire non potest, ex quo pulverem ad exasperationem, et pustulas excitandas non magna vi predictum esse conjecto. In forma magmatis seu massae spissae, nulla commoda habet, quae non ad solutionem quoque pertinent, et experimentis doceor, parum interesse,

num ex saliva, an ex aqua magma confectum sit. Mihi multo usu persuasum est, nullam formam in qua Tartras Antimonii extrinsecus admovetur commoda plura et præstantiora quam solutionem habere, et mihi sane videtur necesse esse, ut cujuscunque formæ portiones salis efficientes, solutæ sint. Solutio eruptionem citius quam aliæ formæ educit. Nec tam sordida est quam unguentum, neque exasperationem tam molestantem excitat quam quæ unguento interdum, vel etiam sæpissime, ut quidam auctores dicunt, excitatur, et quæ nonnunquam efficit ut usus unguenti tolerari non possit; nunquam enim vidi, post solutionem admotam fœda ista ulcera, ab auctoribus memorata. Doceor a Patre meo, grana pauca Muriatis Hydrargyri, solutioni addita, multum adjuvare, et ad eruptionem excitandam plurimum conferre: "I have," inquit Pater meus, "always found its beneficial effects much aided, both in extent and quickness, by the addition of a small quantity of Hydr. Muriat. *". Muriate adjecto, nulla cutis, solutioni potest resistere, quod tamen cum simplici solutione nonnunquam accidit. Mu-

* Litera supra citata.

rias Hydrargyri adjuvat insigni facultate cutis exasperandi, quæ ex CIRILLO experimentis bene cognita est, et de quo SCHWILGUE' dixit, "Ce sel est susceptible d'enflammer et d'escarifier *."

En formula, qua ego et Pater meus plerumque usi sumus,

R. Tart. Antimonii, ʒj.

Muriat. Hydrarg. gr. v.

Aquæ Distillatæ, ʒj.

Spirit. Lavend. Comp. ʒj. Solve sales in aqua, dein adde spiritum.

Hæc compositio applicanda est, partem fricando digitis ex ea madefactis. Nunquam vidi Muriatem Hydrargyri effectum ullum, absorptione, corpori inferre. GOODWIN parvam quantitatem Camphoræ vel Linamenti saponæei, cum compositione conjungit. Cum solutione Tinctura Cantharidum aliquando usus sum, sed ex ea nullum commodum accepi.

Unguentum ex drachma salis, et axungie porcine unciâ confectum, cutem non tam cito quam solutio afficit, sed longiore tempore effectus ejus perdurant, et pustulæ ab eo excitatæ majores et exasperatiores sunt; itaque ubi magni mo-

* Mat. Med. vol. ii. p. 87.

menti fuit, exasperationem continuare, hoc multo commodo assecutus sum, admovendo primo unguentum per horæ quartam partem, et postea pari tempore solutionem supra dictam, ex quo plerumque accidit, ut eruptio a solutione statim excitata fuerit, et hac evanescente, unguenti effectus sese ostenderint; hoc modo, eruptionem et exasperationem, per novem vel decem dies perpetuavi. JENNER usus fuit unguento, cum majore quantitate Tartratis Antimonii, quam supra exhibui; sequentem enim formulam præscripsit:

R. Antim. Tart. (subtil. pulv.) ʒij.

Ung. Cetacei, ʒjx.

Sacchari Alb. ʒj.

Hydr. Sulph. Rub. gr. v. M. Fiat unguentum.

Tanta quantitas ad concitandam eruptionem non necessaria est; nam ut mihi apparet, sal non nisi solutus agit; itaque si utimur majore quantitate Tartratis Antimonii, quam unguento, calore corporis et frictione liquefacto, solvi potest, nihil remedii vires augemus. Saccharum ad unguentum condendum additur, et forsitan mechanice agendo ejus actionem adjuvat. Formula a NIEMAN præscripta et ab eo multum laudata nunquam usus sum, itaque nihil de ea pos-

sum proferre ; sed a magna exasperatione quam fertur producere, et a notis viribus materiæ quas in se habet, non possum dubitare, quin magno fructo ea uti possumus, multis in morbis, quibus inducta exasperatio prodest. Accipe formulam Doctoris NIEMAN, “ & Emplastri Resinæ Pini unciam unam ; Resinæ Pini unciam dimidiam ; Terebinthinæ Venetæ drachmas tres. Liquatis, admisce Tartri Antimonii unciam unam dimidiam.” Ab hoc, necnon ab unguento, oritur aliquando exasperatio gravissima, ad quam leniendam cataplasma emolliens communis, et postea unguentum ex cerati simplicis uncia, et liquoris plumbi subacetatis drachma confectum, multum valet.

IV. DE NONNULLIS MORBIS, IN QUIBUS, VIRES ET UTILITAS TARTRATIS ANTIMONII EXTRINSECUS ADMOTI, MIHI USU COMPERTÆ SUNT.

SHERWIN, qui primus Tartratem Antimonii contra morbos internos cuti adhibuit, hoc consilio adductus est, scilicet, ut eos effectus induceret, quos in ventriculo sumptus, Tartras edit. Sed ex GAITSKELL experimentis, liquido constat, nos non posse Tartrati Antimonii ad tales effectus

procurandos admoto, confidere. In variis morbis, medici Tartarum Emeticum corporis superficiei admoverunt. A BRADLEY multum laudatur in rheumatismo chronico, et in hoc morbo, (etiam paralyti, in uno exemplo, comitante), eum ad eruptionem producendam, ipse quoque sæpe feliciter admovi. Contra Cynanchen Tonsillarem, solutione Tartratis Antimonii, secundum formulam supra præscriptam, optimo successu usus sum, ut per raro, hoc morbo accidente, eum admovi, quin brevi malum sustulerit. Porro, in omnibus morbi temporibus multum auxilii præbet. Multum in hoc morbo juvat, primo unguentum et deinde solutionem, ut supra præscriptum est, admovere; nam solutione tantum admota, raro, sed aliquando tamen, morbum ab ea curtatum revenire observavi; quippe quia exasperatio citius evanescit. AUTENREITH Tartrate Antimonii in Pertusse feliciter usus est. ROBERTSON quoque, in libro *The London Medical Repository* vocato, de pertusse scribens, idem remedium præ aliis laudat. Duobus infantibus hoc morbo laborantibus solutionem Tartratis Antimonii collo et parti superiori thoracis admovi, quo tussis et laryngis inflammatio, quam dolor gravis et difficultas spi-

randi indicabant, lenitæ sunt. Pater meus solutionem in nonnullis exemplis Cynanchis Malignæ admovit, et multum auxilii et magna commoda accepit. Vesicatoria ex cantharidibus confecta, in quibusdam hujus morbi exemplis, gangrænam induxerunt, itaque periculo non carent. Sed Tartratis Antimonii solutio, cum, non modo cito et valide, sed etiam tute vesicat, cantharidibus longe præponenda est. Vidi etiam ulcera in tonsillis et in faucibus postremis a lue venerea provenientia, multum auxilii accipere ex eruptione, unguento et solutione, jugulo admotis excitata. JENNER, in supra dicta epistola, exempla protulit in quibus affectus hypochondriacos, et insaniam, unguento ex Tartrate Antimonii commodissime curavit.

In omnibus illis exemplis, magna fuit ventriculi et intestinorum perturbatio, et gravissima cruditas ursit. Licet nunquam mihi occasio oblata sit, insaniam vel affectus hypochondriacos curandi, tamen in alio morbo in quo signa similia, quoad statum ventriculi, adsunt, in Dyspepsia nimirum, Tartratem Antimonii magno fructu extrinsecus admovi. Multi medici dyspepsiam ex ventriculi imbecillitate pendere existimant; ast

mihî videtur a natura signorum quæ hoc affectu exhibiuntur, causam ejus constare ex inflammatione longa ventriculi aut intestinorum, severitate variante, a gastro-interitide gravissima Doctoris BROUSSAIS, ad cruditatem levissimam. Dolor, enim, pressione auctus, calor in ventriculo sentitus, linguæ apicis et oræ itemque faucium postremarum rubor, et alia signa illorum organorum exasperationis, et læsæ functiones, ad hanc opinionem confirmandam concurrunt. Hac causa potius quam imbecillitate ventriculi admissa, non modo cruditatis signa, sed etiam agendi rationem remediorum quæ cutem exasperando dyspepsiam levant, et remissionem quæ ex spontanea super cutem eruptione aliquando provenit, multo melius explicare possumus; sic nonnulli nunquam cruditate expertes sunt, nisi fonticulis in lateri sinistro, vel emplastro excitante, lateri superimposito utuntur. Ab ictu ventri illato, signa gravissima dyspepsiæ interdum oriuntur. Inflammationis notæ in membrana interna ventriculi sæpe reperiuntur, in iis qui dyspepsia laboraverant; etiam postremo, *eruptiones* sese ostenderunt in ventriculis eorum, qui laborantes dyspepsiæ signis, mortui sunt, ut LIEUTAUD distincte

narrat. Postquam perlegissem Doctoris FERRIAR de mutata morborum sede observationes, quas in libro suo, qui "Medical Histories and Reflections" appellatur, evulgavit; in quibusdam gravissimis dyspepsiæ exemplis, utilitatem eruptionis Tartrate Antimonii sinistrum in latus et hypochondrium evocatæ, experiri inductus fui. Unum ex tribus exemplis, in quibus solutionem Tartratis Antimonii ita exhibui, hic proferre licebit.

LAIDLAW, vir 34 annos natus, consilium a me petivit: laborabat sequentibus signis, quibus nulla remedia, nec emetica nec tonica, neque purgantia, ullum auxilium tulerant. Fastidium cibi, aliquando vomitum post cibum præcipue urgentem, dolorem ventriculo relatum, et pressura auctum, ardorem in epigastrio sentitum, conqueribatur. Alvus sine purgantibus medicamentis nihil reddebat; lingua sordida erat, illius tamen ora erat ruberrima, sitis aliquando urgebat. Vomitum excitavi, dein pulverem rhei et submuriatem hydrargyri cum pulvere Amomi zingiberis, et postea infusi amari potiones præscripsi. Forte eo tempore legebam librum supra memoratum Doctoris FERRIAR; in quo verba sequentia

animadverti, "Tedious dyspeptic cases are often converted to cutaneous eruptions, in distinct pimples, of a fiery red colour; such eruptions extinguish the complaint in the stomach." Ex quo mihi in mentem venit, fore ut naturam imitando, eruptionem scilicet educendo, LAIDLAW auxiliari possem. Hoc consilio supra dictam tartratis antimonii solutionem, epigastrio, e regione ventriculi admovi; ex qua sequente die, plurimæ papulæ jam maturatæ sunt, et eodem tempore ardor et dolor epigastrii valde leniti sunt: hoc successu adductus, brevi, solutionem rursus admovi, eventu haud minus fausto; perrexi, igitur; et ubi quater remedio usus fuisset, LAIDLAW recuperata sanitate fruebatur, ad quem bonum eventum diæta tenuis et demulcens et enemata emollientia nonnihil contulerant. JENNER nobis quatuor exempla tradidit, morbo thoracis laborantium, quibus hoc remedium solatium præbuit. Ipsa etiam natura, ut ex auctorum fide dignorum testimonio manifestum est, morbum aliquando partibus internis ad cutem defert. Signa etiam phthisis, nimirum, spirandi difficultas, tussis et lateris dolor, hoc remedio iterum atque iterum admoto, nonnunquam fugata vidi; sed ut hoc ef-

fectum assequamur, necesse est, ut remedii usum per longum tempus continuemus. In quibusdam phthisicis qui, cum meum consilium peterent, morbo jamdiu laboraverant, ita ut jamjam ad ultimum gradum pervenirent, multum commodum ex usu tartratis obtinui, dolorem scilicet levando, quo miseri aliquando multum vexabantur. In hujusmodi exemplis usus externus tartratis antimonii multum præstat vesicatoriis communibus, quorum magna molestia, ut me vidisse persuadeor, exitum fatalem nonnunquam præfestinat. In doloribus quæ in musculosis partibus thoracis sedem habent, solutionem ex tartaro emetico locis admotam citissime auxilium ferre novi; hi dolores qui rheumatici sunt, aliquando per longum tempus consistunt, et propter similitudinem cum doloribus a phthisi orientibus ægros nonnunquam perterrent. In inflammatione pulmonum, et in pleuritide, solutionem admovi, et usu compertum est mihi, eam post sanguinis missionem quam maxime valere; ad hæc, in quibusdam exemplis jecinoris inflammationis inter infantes et impubes, hoc cum aliis remediis simili fructu usus sum. Non tamen dissimulandum est, morbum in uno ex istis exemplis, nec solutione, nec hi-

rudinibus lenitum fuisse, licet, vesicatorio admoto fugatus sit. In uno exemplo Choreæ sancti viti, in quo tartras antimonii in valetudinariis clinicis Nosocomii Regii Edinensis, admotus est, nihil commodi acceptum est. Pater meus in exemplo hydrocephali interni, solutione usus est, et quanquam caput, morbo multum augetur, quo mali natura liquido manifesta est, morbi tamen signa, nunquam revertenda, sublata sunt. BRODIE unguentum in morbis genu admovit; ego autem in illis affectionibus multum commodi ex solutione adeptus sum. In morbo carpi ossium quo puella affecta est, tartrate usus sum; dolor et tumor levati sunt; nec in hoc exemplo istæ cicatrices, quæ post ulceribus arte factis partem deformare solent, relictæ sunt. Memorat GOODWIN, in libro cui titulus "London Medical and Physical Journal," duo exempla anginæ pectoris, quibus hoc medicamentum auxilium præbuit. Lotionem admovi in exemplis duobus cordis palpitationis; in uno, sæpe iterato usu, morbum omnino fugavit; in altero eruptione erumpente, abnorma cordis actio semper decrescit, sed ea evanescente palpitatio rediit. NIEMAN, in multorum morborum curatione, veluti rheumatis

mi, lippitudinis, hydrocephali interni, et sane, omnium quibus, exulcerantia remedia prosunt, tartras antimonii pro epispastico laudat. BLIZZARD solutione usus est, qua carnes nimis crescentes ulcerum roderet. Nonnulli eam pro collyrio et styptico usurpaverunt. Alii eam in alvum ex inferiore parte, vel in venis injecerunt, ut vomitum cicerent, ubi a gula aut impedita aut paralyse affecta, devorare ægri non poterant. Tales sunt morbi præcipui, in quibus tartratis antimonii extrinsecus admoti, vires auxiliares mihi, aut propria experientia aut ex aliorum scriptis compertæ sunt.—Quid igitur mihi jam denique restat, quin a Lectoribus humanitatem implorans incepto finem imponam.

F I N I S.

